



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

21. Mahumetano filium in mare lapsum, sexto hinc die restituit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

cubiculum, pauloque post in scapham cum puero descendi, iubet manu caua ex mari aquam vt hauriat & quid sapiat gustet; tum quærit ex eo vtrum dulce an salsum? puer salsum respondit; vrget iterum gustatu experiri salane an dulcis; morem gerit puer, & dulcem renunciat. Tunc vero repetita nauis Saranghen aduocat secta Maurum, nautis per eum mandat, quotquot essent in nauis vasa aquæ idonea expediant omnia, & parent; iis sursum deorsum tota nauis magno statim numero collocatis, aquam haustam imperat infundi, eaque impleri: quod dum faciunt, hic fiti pressus; alius præcoci curiositate saporem explorant, & natium vt erat sentiunt. Post quæ Xauerius signum crucis in vasa omnia manu ducit, illaque omnium, vna simul consignatione aquam omnem illorum salam, puncto temporis, dulci aqua mutat, sed vsque adeo potantibus grata, vt omnes assererent Banghanis aquis esse meliorem, ad quas nauis solent tanquam ad optimas aquari. Quàm effusa vel hilaritate, vel religione potius hoc donum celebrarit nauis, quisque facillè cogitabit, miraculum omnes exclamare, Xauerium ingeminare sanctum; pedum, & manuum osculis, gratiisque agendis confertim fatigare, is vero admonere Deo illum honorem, & gratias haberent ac redderent; non sibi homulo, & peccatis onusto. Huius tamen adè insperatæ, grandisque lætitiæ pars princeps ad illum peruenit, multos enim suis cum familiis Saracenos, eo conuictos prodigio, verum Deum professos & baptismum poscentes Christo lucrificat, & communibus vectorum gaudiis hunc cumulum addidit. Aquæ porro illius Beati Patris adprece in dulcem mutatæ, residuum illud quod post vsum abundè superfuit, vectorum præcipui quique, inter se certatim partiti sunt; ac primum quidem in monumentum miraculi, & in reliquias viri sancti religiose asseruarunt, vertere deinde in morborum remedia, quæ multis per Indias sanitati fuerunt, vna eius aquæ stilla restitutis.

Non fuit quod sequitur, tam largo in multos beneficio diffusum, vt erat marinæ in fluuialem aquam conuersio; sed mirabilius, & diuinius quoad rem operæ. Ferebatur nauis, cursu ventis & velis incitatissimo: sedebat in eius crepidine puer annorum quinque secure, ac placide, qui leni nauis inclinatione in id latus, præceps in mare deuoluitur, sorbeturque prius quàm vela tot contrahi, & reflante vento, eximi aquis posset. Mahometi cultor pueri parens erat, dolore percitus, ima nauis se abdit, suam & filij lamentaturus calamitosam sortem, nec maris aspectum sustinens quo sepeliri filium viderat, ægrè tamen ex iis post triduum emergens latebris, sed neque dolendo nec plorando, satur, Xauerio occurrit, qui cernens mœrore ac lacrimis obrutum, causam de qua nihil audierat ex eo inquirat. Ille filij casum vt contigerat stens narrat. Cui Xauerius mente intra se parumper collecta, quid si ait, Deus filiolum tuum in nauim restituat, sistatque illum tibi rediuuium, promittis te illi crediturum, & fore fidelem Christianum? verè an falsò, certè perfacile, & vltro promisit, fidemque obstrinxit: en autem post aliud triduum sub au-

28

Mahumerano
filium in mare
lapsum, sexte
hinc die resti-
tuit.

L 1 toram

roram comparet filius in naui, margini lateris infidens ludibundus, & hilaris; sed planè ignarus, vbinam per illos sex dies egisset; aut qua manu, & modo redisset in nauim, hoc tantum meminerat se in mare prolapsum. Pater aspectu viuientis filij prope abfuit vt extingueretur præ gaudio, nec vrgendus fuit ad promissi fidem, vltro illam, & liberaliùs etiã quam dederat præstitit, vxore si quidem, seruo, & filio secum ad Xauerium pèductis, cum iis sacro Baptismo lustratus est, filiumque Franciscum de liberatoris nomine appellauit. Duo hæc admirabilitas tam prodigiosa, vectorum oculis, animisque vehementer ac iucunde impressit, effecitque vt Cinceum aduecti tacere illa aduenis non possent. Est Cinceum in oris Sinesium insula, mercatus frequens Indorum & Æthioptum concussu, insularumque maxime distitarum.

22

Baptizans,
staturã Gigan-
tis cõspicitur.

Ij à vectoribus & nautis mirabiliter ab Xauerio gesta cū audirent, ad videndū illum subinde in nauē confluere, & fuit cū simul quã viri quã pueri sexaginta numero adstarent, quibus ille in sua retia non absque tacito Dei nutu coactis, Christiana mysteria, legemque tradidit, nec finè dicendi fecerat, cū omnes confessi velle se fieri Christianos, erant autem ferè Mahometi sequaces, eadem in naui expiati sunt sacro baptismate; in quo vir sanctus dum eos tingeret, insigni prorsus sui spectaculum ignorans præbuit; tam procera enim supra suam staturã eminebat, vt ab iis qui erant in littore, scamno insistere putaretur, cum autem huc illuc, sed eadem tamen proceritate se moueret existimatum id non humanitùs fieri, exploraturque est diligentius, dixit enim pro testimonio Stephanus Ventura cutior indagator, ad hoc se in nauim euasisse, vidisseque suis oculis S. Patrem, tabulato vt cæteros pedibus insistentem, seipso tamen gigantis specie altiozem, pertinentemque procul ad fundendam aquam sacrorum fontium, in eorum capita quos tiugebat, mox vero peracto mysterio, in natiuæ mensuræ staturam & modum rediisse. Cincei quoque miro modo, cuidam mortem prædixit. Portabatur ægrotus notorum brachiis in scapham, ex ea in nauim inferendus, persuasus ab iis se illic mitius quam in terra morbum, & tutiùs laturum. Xauerius qui tunc in littore diuini officij exsoluebat pensum, minime vero ait, quin imo in naui omnino moriturum: ægrototo nihilominus aut volente, aut eius baiulis salubre monitum parui pendentibus, ad nauim pergitur. Ferte igitur, inquit sanctus, quando ita vultis, sed scitote vos quem inferis viuum, elaturos paulo post mortuum. In nauim iniicitur, ingrauescit malum vehementissime, paucas intra horas defungitur, ab iisdem qui eum detulerant ad sepulturam exportatur. Cinceo versis Sancianum velis (vbi est Sinarum cum Lusitanis negotiatio) Cantonem dju iam præterierant, cum putarent illò se adhuc tendere, Xauerius certiore instinctu, retro longe Cantonem relinqui asserit, cui dum minus fidei daretur, iusto longinquius nauigatio ferebatur, nisi eam demissis velis inhibuisset. Præfectus nauis, dum recepta scapha quam in proximum littus miserat speculatum, de cursu itineris disceret. Sed ea triduo integro malè omnes tenebat sollicitos